



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De statu religionis, quantum ad ea in quibus consistit principal ter
religionis status. Quæstio 186.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

QVÆST. CLXXXV. ART. VIII. 651

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui fit de monacho episcopus, absoluitur à iugo monastica professionis, non quantum ad omnia, sed quantum ad illa quæ officio pontificali repugnant, ut dictum est *.

in co. ar.

Ad secundum dicendum, quod vota secularis vitæ se habent ad vota religionis, sicut particulare ad vniuersale, ut supra habitum est *. Sed vota religionis se habent ad pontificalem dignitatem, sicut dispositio ad perfectionem. Particulare autem superfluit habito vniuersali, sed dispositio adhuc necessaria est, perfectione obenta.

q. 88. ar.

12. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod hoc est per accidens, quod episcopi religiosi obedire prælatis suarum religionum non tenentur, quia scilicet subditi esse desierunt, sicut & ipsi prælatis religionum: manet tamen adhuc obligatio voti virtualiter, ita scilicet quod si eis legitime aliquis præficeretur, obedire tenerentur, in quantum tenentur obedire statuti regulæ per modum prædicti, & suis superioribus, si quos habent. Propriū autem nullo modo habere possunt. Non enim paternā hereditatem vendicāt quasi propriam, sed quasi ecclesiasticā debitam. Vnde ibidem * subditur, quod postquam episcopus ordinatur ad altare, ad quod sanctificatur & intitularur, secundum sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. Testamentum autem nullo modo facere potest, quia sola ei dispensatio committitur rerum ecclesiasticarum, quæ morte finitur. Ex qua incipit testamentum valere, ut Apost. dicit ad Heb. 9. Si tamen ex concessione Papæ testamentum faciat, non intelligitur ex proprio facere testamentum, sed apostolica auctoritate intelligitur esse ampliata potestas suæ dispensationis, ut eius dispensatio possit valere post mortem.

18. q. 1. c.

Statutū

in fine.

QVÆST. CLXXXVI.

De iis, in quibus religionis status præcipue consistit, in decem articulos diuisa.

Ad Binde considerandum est de his, quæ pertinent ad statum religionis, Circa quod occurrit quadruplex

plex confidatio. Quarum prima est, de his in quibus principaliter consistit religionis status. Secūda, de his quæ religiosis licitè conuenire possunt. Tertia, de distinctione religionū. Quarta, de religionis ingressu.

- ¶ Circa primum quæruntur decem.
- ¶ Primo, vtrum religiosorum status sit perfectus?
- ¶ Secūdo, vtrū religiosi teneantur ad omnia consilia?
- ¶ Terrio, vtrum paupertas voluntaria requiratur ad religionem?
- ¶ Quarto, vtrum requiratur continentia?
- ¶ Quinto, vtrum requiratur obedientia?
- ¶ Sexto, vtrum requiratur quòd hæc cadāt sub voto?
- ¶ Septimo, de sufficiencia horum votorum.
- ¶ Octauo, de comparatione eorum adinuicem.
- ¶ Nono, vtrum religiosus semper mortaliter peccet, quando transgreditur statum suæ regulæ?
- ¶ Decimo, vtrum cæteris paribus, in eodem genere peccati plus peccet religiosus, quam secularis?

ARTIC. I.

Vtrum religio importet statum perfectionis?

384

quo 5. a.
21 co. 49
sp. 18. a.
16.
pauloan-
se sic. vl.
2 1.
l. 10. c. 4.
ante me.
20, 5.
l. 2. de in-
uentio. in
fol 4 an-
te 6. lib.
9. 81. a. 2
ad 3.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd religio non importet statum perfectionis. Illud enim quòd est de necessitate salutis, non videtur ad statum perfectionis pertinere. Sed religio est de necessitate salutis: quia per eam vni omnipotenti Deo religamur, sicut Aug. * dicit in libro de vera relig. Vel religio dicitur ex eo, quòd Deum reeligimus, quem amiseramus negligentes, vt Augustinus dicit in decimo * de Civitate Dei. Ergo videtur, quòd religio non nominet perfectionis statum.

¶ 2 Præterea, Religio secundum Tullium * est, quæ naturæ diuinæ cultum & ceremoniamque offert. Sed offerre Deo cultum & ceremoniam magis videtur pertinere ad ministeria sacrorum ordinum, quam ad diuersitatem statuum, vt ex supradictis patet. Ergo videtur, quòd religio non nominet perfectionis statum.

¶ 3 Præterea, Status perfectionis distinguitur contra statum incipientium & proficientium, Sed etiam

in religione sunt aliqui incipientes & aliqui proficien-
tes. Ergo religio non nominat perfectionis statum.

¶ 4 Præterea, Religio videtur esse pœnitentiæ lo-
cus. Dicitur enim in Decretis 7. * quæst. 1. Præcipit
sancta synodus, ut quicumque de pontificali dignitate
ad monachorum vitam & pœnitentiæ descenderit lo-
cum, nunquam ad pontificatum refurgat. Sed locus
pœnitentiæ opponitur statui perfectionis. Vnde Dion.
in 6. † cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ ponit pœnitentes
in infimo loco, scilicet inter purgandos. Ergo videtur,
quod religio non sit status perfectionis.

SED contra est, quod in collationibus Patrum di-
cit † Abbas Moyses, de religiosis loquens, leuiorum
inediam, vigiliis, labores corporis, nuditatem, lectio-
nem, careralque virtutes debere nos suscipere noue-
rimus: ut ad perfectionem charitatis istis gradibus
possimus ascendere. Sed ea quæ ad humanos actus
pertinent, ab intentione finis speciem & nomen reci-
piunt. Ergo religiosi pertinent ad statum perfectio-
nis. Dionysius etiam 6. † cap. Ecclesiasticæ Hierarch.
dicit eos, qui nominantur Dei famuli, ex Dei puro
seruitio & famulatu vniri ad amabilem perfectionem.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex supra-
dictis † patet, id quod communiter multis conuenit,
anonomasice attribuitur ei, cui per excellentiam
conuenit: sicut nomen Fortitudinis vendicat sibi illa
virtus, quæ circa difficillima firmitatem animi seruat;
& Temperantiæ nomen vendicat sibi illa virtus, quæ
temperat maximas delectationes. Religio autem, ut su-
pra habitum est †, est quedam virtus, per quam ali-
quis ad Dei seruitium & cultum aliquid exhibet. Et
ideo anonomasice religiosi dicuntur illi, qui se tota-
liter mancipant diuino seruitio, quasi holocaustum
Deo offerentes. Vnde Gregor. † dicit super Ezechie-
lem, Sunt quidam, qui nihil sibi metipsis reseruant, sed
sensum, linguam, vitam, atque substantiam, quam per-
ceperunt, omnipotenti Deo immolant. In hoc autem
pœnitentiæ hominis consistit, quod totaliter Deo inha-
reat,

7. q. 1. c.
46. Hoc
nequa-
quam.

e. 6. n. 10.
ge à pri.

collat. 1.
c. 7. cir.
p. 1. c.

e. 6. p. 1.
non pro-
cul a fi.

q. 141. a.
2. et 1. 2.
q. 61. a. 3

q. 81. a. 2

ho. 20. in-
ter med.
& fi.

reat, sicut ex supradictis ¶ patet. Et secundum hoc religio perfectionis statum nominat.

q. 184. a.
2.

Ad primum ergo dicendum, quòd exhibere aliqua ad cultum Dei, est de necessitate salutis. Sed quòd aliquis se totaliter & sua diuino cultui deputet, ad perfectionem pertinet.

q. 31. a. 1.
ad 1. ¶
a. 4. ad 1.
¶ 2.

Ad secundum dicendum, quòd sicut supra dictum est, ¶ cum de virtute religionis ageretur, ad religionem pertinent non solum oblationes sacrificiorum, & alia huiusmodi, quæ sunt religioni propria; sed etiã actus omnium virtutum, secundum quòd referuntur ad Dei seruitium & honorem, efficiuntur actus religionis. Et secundum hoc, si aliquis totam vitam suam diuino seruitio deputet, tota vita sua ad religionem pertinebit. Et secundum hoc, ex vita religiosa quam ducit, religiosi dicuntur qui sunt in statu perfectionis.

q. 184. a.
5.

Ad tertium dicendum, quòd sicut dictum est, ¶ religio nominat statum perfectionis ex intentione finis. Unde non oportet quòd quicumque est in religione, iam sit perfectus, sed quòd ad perfectionem tendat. Unde super illud Matth. 19. Si vis perfectus esse, &c. dicit ¶ Origenes, quòd ille qui mutauit pro diuitiis paupertatem, vt fiat perfectus, non ipso tempore, quo tradiderit bona sua pauperibus, fiet omnino perfectus, sed ex illa die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. Et hoc modo in religione non omnes sunt perfecti, sed quidam incipientes, quidam proficientes.

¶ ac. 8. in
Matt. ali
quantu-
m a me.
30. 2.

Ad quartum dicendum, quòd religionis status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quadam exercitia quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectæ charitatis, multò magis exciduntur occasiones peccati, per quòd totaliter tollitur charitas. Unde ¶ cum ad pœnitentem pertineat causas peccatorum excidere, ex consequenti status religionis est conuenientissimus pœnitentiæ locus. Unde in Decretis 33. ¶ quæst. 2. canone, Admonere, consilium cuiusdam, qui

33. q. 2. c.
8. Admo-
nere in
dem.

¶ ac. 8.

uxorem occiderat, vt potius monasterium ingredia-
tur, quod dicit esse melius & leuius, quam quod pæ-
nitentiam publicam agat remanendo in seculo.

ARTIC. II.

Virum quilibet religiosus teneatur ad omnia consilia?

385

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod quili-
bet religiosus teneatur ad omnia consilia. Qui-
cumque enim profiteretur statum aliquem, teneatur ad
ea quæ illi statui conueniunt. Sed quilibet religiosus
profiteretur statum perfectionis. Ergo quilibet religio-
sus teneatur ad omnia consilia, quæ ad perfectionis sta-
tum pertinent.

4. d. 1. q.
2. a. 6. q.
2. ad 3.

¶ 2. Præterea, Greg. † dicit super Ezech. quod il-
le qui præsens seculum deserit, & agit omnia bona,
quæ valet, quasi iam Aegypto derelicta, sacrificium
præbet in eremo. Sed deserere seculum, specialiter
pertinet ad religiosos. Ergo etiam eorum est agere
omnia bona quæ valent. Et ita videtur, quod quilibet
eorum teneatur ad omnia consilia implenda.

ho. 20. a
med.

¶ 3. Præterea; Si non requiritur ad statum perfe-
ctionis, quod aliquis omnia consilia impleat, sufficiens
esse videtur, si quædam consilia impleat. Sed hoc fal-
sum est: quia multi in seculari vita existentes aliqua
consilia implent, vt patet de his qui continentiam ser-
uant. Ergo videtur, quod quilibet religiosus, qui est in
statu perfectionis, teneatur ad omnia quæ sunt perfe-
ctionis. Huiusmodi autem sunt omnia consilia.

Sed contra, ad ea quæ sunt supererogationis, non
teneatur aliquis nisi ex propria obligatione. Sed non
quilibet religiosus obligat se ad omnia, sed ad aliqua
determinata: quidam ad hæc, quidam ad illa. Non
ergo omnes tenentur ad omnia.

RESPONDEO dicendum, quod ad perfeccio-
nem aliquid pertinet tripliciter. Vno modo, essen-
tialiter. Et sic, sicut supra dictum est *, ad perfeccio-
nem pertinet perfecta obseruantia præceptorum cha-
ritatis. Alio modo ad perfectionem pertinet aliquid
consequenter: sicut illa quæ consequuntur ex perfe-
ctione

q. 184. a.
3.

T. I.
undum hoc
libere aliqua
Sed quod
deputet, ad
pra dictum
ad religio-
ficiorum,
oria; sed etiã
d referuntur
r actus reli-
viam suam
eligionem
ioia quam
perfectionis
um est, † re-
tione finis.
a religione,
em tendit.
is esse, &c.
pro diuini
tempore,
omnino per-
dei adduce-
in religione
incipiens;
status prin-
dipiscendam
impedimenta
imentis per-
occafiones
as. Vnde
catorum ex-
est conue-
egretis †
uidam, qui
vixit

atione charitatis: puta, quod aliquis maledicenti benedicat, & alia huiusmodi impleat. Quæ etiam secundum præparationem animi sint in præcepto, ut scilicet impleantur quando necessitas requirit: tamen ex superabundantia charitatis procedit, quod etiam præter necessitatem quandoque talia impleantur. Tertio modo, pertinet aliquid ad perfectionem instrumentaliter, & dispositiue: sicut paupertas, continentia, abstinencia, & alia huiusmodi. Dicitur est autem * quod ipsa perfectio charitatis est finis illius religionis. Status autem religionis, est quedam disciplina vel exercitium ad perfectionem perueniendi: ad quam quidem aliqui peruenire nituntur exercitijs diuersis, sicut etiam medicus ad sanandum vni potest diuersis medicamentis. Manifestum est autem quod ille, qui operatur ad finem, non ex necessitate conuenit, quod iam assecutus sit finem, sed requiritur quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere & operam dare, ut habeat charitatem perfectam. Et eadem ratione non tenetur ad hoc, quod illa impleat quæ ad perfectionem charitatis consequuntur. Tenetur autem ut ad ea implenda intendat: contra quod facit contemnit. Unde non peccat si ea prætermitat, sed si ea contemnat. Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem peruenitur, sed ad illa quæ determinare sunt ei taxata secundum regulam, quam professus est.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui transit ad religionem, non proficitur se esse perfectum, sed proficitur se adhibere studium ad perfectionem consequendam. Sicut etiam ille qui intrat scholas, non proficitur se scientem, sed proficitur se studentem ad scientiam acquirendam. Unde sicut Augustinus dicit in 8. * de Ciuitate Dei, Pythagoras noluit se sapientem profiteri, sed sapientie amatorem. Et ideo religiosus non est trans-

li. 8. c. 2.
non mult
in a pri.

gresso
contem
Ad
Deum
qua to
mitti n
termin
dum
cula
sunt. C
Quod
rare. E
di, qu
potest
dum
quem
Ad
qua si
retur
prium
di face
nis. E
giosu
busdan
termit
laribus
omnia

Vtra

AD
nis. Ne
illud q
linqua
Cor. 8
dicens
accept
Se

gressor professionis, si non sit perfectus, sed solum si contemnat ad perfectionem tendere.

Ad secundum dicendum, quod sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, est tamen aliqua totalitas perfectionis, quæ sine peccato prætermitti non potest, aliqua autem quæ sine peccato prætermittitur, dum tamen desit contemptus, ut supra dictum * est: ita etiam omnes tam religiosi, quam seculares tenentur aliquammodo facere quicquid boni possunt. Omnibus enim communiter dicitur Ecclesiast. 9. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare. Est tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur, scilicet, si homo faciat quod potest, secundum quod requirit conditio sui status, dummodo contemptus non adsit agendi meliora: per quem animus firmatur contra spiritualem profectum.

q. 184. a.
2 ad 3.

Ad tertium dicendum, quod quædam consilia sunt, quæ si prætermitterentur, tota vita hominis implicaretur negotijs secularibus: puta, si quis haberet proprium, vel matrimonio uteretur, aut aliquid huiusmodi faceret, quod pertinet ad essentialia vota religionis. Et ideo ad omnia talia consilia observanda religiosi tenentur. Sunt autem quædam consilia de quibusdam melioribus particularibus actibus, quæ prætermitti possunt absque hoc, quod vita hominis secularibus actibus implicetur. Vnde non oportet, quod ad omnia talia religiosi teneantur.

ARTIC. III.

Utrum paupertas requiratur ad perfectionem religionis?

886

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod paupertas non requiratur ad perfectionem religionis. Nō enim videtur ad statum perfectionis pertinere illud quod illicitè fit. Sed quod homo omnia sua relinquat, videtur esse illicitum. Apostolus enim 2. ad Cor. 8. dat formam fidelibus elemosynas faciendi, dicens, Si voluntas prop̄ta est, secundū id quod habet, accepta est, id est, ut necessaria retineatis. Et postea Sec. Sec. Vol. iij. Tt sub.

Inf. a 4.
cor et ad
x. Et op.
18. c. 7. et
8.

gl. inter. subdit, Non enim ut alijs sit remissio, vobis autem tribulatio: Glossa *, id est paupertas. Et super illud 1. ad Timoth. 6. Habentes alimenta, & quibus regamur: dicitur ꝑ glo. Etsi nihil intulerimus vel ablaturi simus, non tamen omnino abijcienda sunt hæc temporalia. Ergo videtur, quòd voluntaria paupertas non requiritur ad perfectionem religionis.

¶ 2 Præerea, Quicumque se exponit periculo, peccat. Sed ille qui omnibus suis relictis, voluntaria paupertatem sectatur, exponit se periculo: & spiritali, secundum illud Prouer. 30. Ne forte egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei; & Eccl. 17. Propter inopiam multi deliquerunt: & etiam corporali. Dicitur enim Eccl. 7. Sicut protegit sapientia, sic protegit & pecunia. & Philosoph. dicit in 4. * Ethic. quòd videtur quædam perditio ipsius hominis esse corruptio diuitiarum, quia per has homo viuit. Ergo videtur, quòd voluntaria paupertas non requiritur ad perfectionem religionis.

¶ 3 Præerea, Virtus in medio consistit, ut dicitur in 2. Ethicor. * Sed ille, qui omnia dimittit per voluntariam paupertatem, non videtur in medio consistere, sed magis in extremo. Ergo non agit virtuosè. Et ita hoc non pertinet ad virtutis perfectionem.

¶ 4 Præerea, Viri perfecti hominis in beatitudine consistit. Sed diuitiæ conferunt ad beatitudinem. Dicitur enim Eccles. 13. Beatus diues qui inuentus est sine macula. & Philosoph. dicit in 1. * Ethic. quòd organice diuitiæ deferunt ad felicitatem. Ergo voluntaria paupertas non requiritur ad perfectionem religionis.

¶ 5 Præerea, Status episcoporum est perfectior, quam status religionis. Sed episcopi possunt proprium habere, ut supra * habitum est. Ergo & religiosi.

¶ 6 Præerea, Dare eleemosynam, est opus maximum Deo acceptum: & sicut Chrys. * dicit, medicamentum, quod maxime in penitentia operatur. Sed paupertas excludit eleemosynarum largitionem. Ergo videtur.

c. 1. pau-
lo & pr
10. 5.

e. 6. 10. 5.

e. 5. cir. fr.
li. 10.
e. 7. 10. 5.

q. prace-
ar. 6.
Ho. 9. in
ca. 6. ad
Heb. post
mae. 10. 2.

videtur
non p
S E
nonnu
perfe
exteri
hendi
ad re
per v
relinq
RE
est *,
discip
ritatis
affectu
Dicit
Minus
propri
quòd
tatis;
aliqui
ad ear
ad Pa
tur 21
nis ill
bebat
aliud
trane
duntur
diuici
tior fi
charit
luntar
dicen
de, ve
sequer
Ad
ibid. f

videtur; quòd paupertas ad perfectionem religionis non pertineat.

S E D contra est, quod Greg. dicit 2. * Moral. Sunt nonnulli iustorum, qui ad comprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt. Sed accingi ad comprehendendum culmen perfectionis, proprie pertinet ad religiosos, vt dictum † est. Ergo eis competit, vt per voluntariam paupertatem cuncta exterius derelinquant.

R E S P O N D E O dicendum, quòd sicut supra dictum est *, status religionis est quoddam exercitium, & disciplina, per quam peruenitur ad perfectionem charitatis. Ad quod quidem necessarium est, quòd aliquis affectum suum totaliter abstrahat à rebus mundanis. Dicit enim Augu. in 10. * Confess. ad Deum loquens, Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Vnde & in lib 83. † qq. dicit August. quòd nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas. Ex hoc autem quod aliquis res mundanas possidet, allicitur animus eius ad earum amorem. Vnde Augustinus dicit in epistola ad Paulinum * & Therasiam, quòd terrena diliguntur et ceteris adepta, quàm concupita. Nam vnde iuuenis ille tristis discessit, nisi quia magnas diuitias habebat? Aliud est enim nolle incorporare quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere. Illa enim velut extranea repudiantur, ista verò velut membra præscinduntur. Et Chryl † dicit super Matth. quòd appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido. Et inde est quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, vt aliquis absque proprio viuat, dicente Domino, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vende, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut gloss. * gl. interl. ibid. subdit, Non ideò dixit Apostol. scilicet, vt nobis

T t 2 non

c. 27. de
clinando
ad fi.

a. 1. c. 2

ar. prac.

cap 29. d
me. 1. 1.
q. 36. cir.
prin. 1. 4.

Epif 34.
a me. il-
lum 10. 2.

ho 64 in
Matth an
te med.
10. 2.

gl. interl.
ibid.

non sit tribulatio, id est paupertas, quin melius esset omnia dare: sed infirmis timeri deficere, quos sic dare monet, ut aegritatem non patiantur. Unde similiter etiam ex glossa alia non est intelligendum quod non licet omnia temporalia abijcere, sed quod hoc non ex necessitate requiritur. Unde & Ambr. dicit in 1. * de Offic. Dominus non vult (scilicet ex necessitate, præcepti) simul effundi opes, sed dispensari nisi forte, ut Heliseus boues suos occidit, & pauit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica.

Ad secundum dicendum, quod ille qui omnia sua dimittit propter Christum, non exponit se periculo neque spiritali neque corporali. Spirituale enim periculum ex paupertate provenit, quando non est voluntaria: quia ex affectu congregandi pecunias, quem patiuntur illi, qui inuoluntarie sunt pauperes, incidit homo in multa peccata: secundum illud 1. ad Timoth. ultimo, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Iste autem affectus deponitur ab his, qui voluntariam paupertatem sequuntur. Magis autem dominatur in his, qui diuitias possident, ut ex supradictis * patet. Corporale etiam periculum non imminet illis qui intentione sequendi Christum, omnia sua relinquunt, diuinitatis se committentes. Unde Augustinus dicit in libro * de Sermone Domini in monte, Quærentibus primum regnum Dei, & iustitiam eius non debet subesse sollicitudo, ne necessaria deficiat.

Ad tertium dicendum, quod medium virtutis secundum Philosophum in 2. * Ethic. accipitur secundum rationem rectam, non secundum quantitatem rei. Et ideo quicquid potest fieri secundum rationem rectam, non est vitiosum ex magnitudine quantitatis, sed magis virtuosum. Esset autem præter rationem redam, si quis omnia sua consumeret per intemperantiam, vel absque utilitate. Est autem secundum rationem rectam, quod aliquis diuitias abijciat, ut contemplationi sapientie vacet: quod etiam philosophi quidam leguntur

e. 30. an-
te me. s. 1

In co. ar.

l. 2. r. 25.
paulo a
pr. n. r. 4.

e. 6. 10. 5.

tur fecisse. Dicit enim Hieron. † in epistola ad Paulinum, Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit: nec putavit se posse simul & virtutes & diuitias possidere. Vnde multo magis secundum rationem rectam est, vt homo omnia sua relinquat ad hoc, quòd Christum perfectè sequatur. Vnde Hieron. dicit * in epistola ad Rusticum monachum, Nudum Christum, nudus sequere.

Ad quartum dicendum, quòd duplex est beatitudo sue felicitas. Vna quidem perfecta, quam expectamus in futura vita: alia verò imperfecta, secundum quam aliqui dicuntur in hac vita beati. Vitæ autem præsentis felicitas est duplex. Vna quidem secundum vitam actiuam: alia verò secundum vitam contemplatiuam: vt patet per Philos. in 10. * Ethic. Ad felicitatem autè vitæ actiuæ, quæ consistit in exterioribus operationibus, instrumentaliter diuitiæ coadiuuat: quia vt Phil. dicit in 10. † Ethic. Multa operamur per amicos, per diuitias, & per ciuilem potentiam, sicut per quædam organa. Ad felicitatem autem contemplatiuæ vitæ non multum operantur, sed magis impediunt, in quantum sua sollicitudine impediunt animi quietem, quæ maximè necessaria est contemplanti. Et hoc quod Phil. dicit in 10. † Ethic. quòd ad actiones multis opus est. Speculanti verò nullo talium, scilicet exteriorum bonorum ad operationem necessitas: sed impedimenta sunt ad speculationem.

Ad futuram verò beatitudinem ordinatur aliquis per charitatem. Et quia voluntaria paupertas est efficaç exercitium perueniendi ad perfectam charitatè: ideò multum valet ad cælestem beatitudinem consequendam. Vnde & Dominus Matth. 19. dicit, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cælo. Diuitiæ autem habitæ, per se quidem natæ sunt perfectionem charitatis impedire, principaliter alliciendo animum, & distrahendo. Vnde dicitur Matth. 13, quòd sollicitudo seculi, & fallacia diuitiarum

T t 3 tia-

*nō reman-
tē a pr.
epif. qua
incipit,
Bonus ho
mo 10. 1.*

*de uicem
di forma
in fi. 10. 1.*

*c. 7. & 8.
10. 5.*

Ibid.

*c. 8. inter
med. 19.
prin. 5.*

Ho. 15. in Euan. in me. tiarum, suffocat verbum Dei: quia vt Gregor. * dicit, Dum bonum desiderium ad cor intrare non sinunt, quasi aditum flatus vitalis vetant. Et ideo difficile est charitatem inter diuitias conseruare. Vnde Dominus dicit Matth. 19. quòd diues difficile intrabit in regnũ cælorum. Quod quidem intelligendum est de eo, qui actu habet diuitias. Nam de eo, qui affectum in diuitijs ponit, dicit hoc esse impossibile secundum expositionem Chrysof. * cum subdit, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Et ideo non simpliciter diues dicitur esse beatus, sed qui inuentus est sine macula, & post aurum non abiit. Et hoc ideo, quia rem difficilem fecit. Vnde subditur, Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua: vt scilicet inter diuitias positus, diuitias non amaret.

Ho. 64. i. Mast. ante me t. 2.

Ad quintum dicendum, quòd status episcopalis non ordinatur ad perfectionem adipiscendam, sed potius vt ex perfectione, quam quis habet, alios gubernet, non solum ministrando spiritualia, sed etiam temporalia: quod pertinet ad vitam actiuam, in qua multa operanda occurrunt instrumentaliter per diuitias, vt dictum est *. Et ideo ab episcopis, qui profitentur gubernationem gregis Christi, non exigitur vt proprio careant, sicut exigitur à religiosis, qui continentur disciplinam perfectionis acquirende.

In sol ad 4. argu. prac.

*Ho. 20. i. ter med. & fin. illius. * nõ multũ remouit a se incipit hac epif. Multa in orbis monstra. t. 2.*

Ad sextum dicendum, quòd abrenuntiatio propriarum diuitiarum comparatur ad elemosinarum largitionem, sicut vniuersale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium. Vnde Gregor. * dicit super Ezech. quòd illi qui ex possessis rebus subsidia egenis ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt: quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant. Qui verò nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod est maius sacrificio. Vnde etiam Hieron. * contra Vigilantium dicit, Quòd autem afferis eos melius facere, qui viuunt rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt: non

non à me eis, sed à Deo respondebitur, Si vis perfectus esse, &c. Et postea subdit, † iste quem tu laudas, secundus & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertijs præferenda. Et ideò ad excludendum errorem Vigilantij dicitur in libro de Ecclesiast. † dogmatibus, Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum infimul donare, & absolutum in solitudine, cum Christo egerè.

† Statim post verba citata

e 71. habetur hic liber inter opera Aug 1.3

ARTIC. IV.

Vtrum perpetua continentia requiratur ad perfectionem religionis?

887

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd perpetua continentia non requiratur ad perfectionem religionis. Omnis enim vitæ Christianæ perfectio ab Apostolis Christi cœpit. Sed Apostoli continentiam non videntur servasse: vt patet de Petro, qui forcum legitur habuisse, Matth 8. Ergo videtur, quòd ad perfectionem religionis non requiratur perpetua continentia.

Su. q. 88. ar. 11. co. fi. & op. 18. c. 9. et op 19. c. 1 Et in prolo su lo. le. 2. co. 2

¶ 2 Præterea, Primum perfectionis exemplar nobis in Abraham ostenditur, cui Dominus dixit Genes. 17. Ambula coram me, & esto perfectus. Sed exemplatum non oportet quòd excedat exemplar. Ergo non requiritur ad perfectionem religionis perpetua continentia.

¶ 3 Præterea, Illud quod requiritur ad perfectionem religionis, in omni religione inuenitur. Sunt autem aliqui religiosi, qui vxoribus vtuntur. Non ergo religionis perfectio exigit perpetuam continentiam.

SED contra est, quod Apostolus 2. ad Corinth. 7. dicit, Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem nostram in timore Dei. Sed munditia carnis & spiritus, conseruatur per continentiam. Dicitur enim 1. Corinth 7. Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore & spiritu. Ergo perfectio

Tt 4 re-

religionis requirit continentiam.

RESPONDEO dicendum, quòd ad statum religionis requiritur subtractio eorum, per quæ homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei seruitium. Vnus autem carnalis copulæ retrahit animum ne totaliter feratur in Dei seruitium, dupliciter. Vno modo, propter vehementiam delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiscentia: vt etiam Philosophus dicit in 3. ¶ Ethic. Et inde est, quòd vius venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc est quod August. dicit in 1. ¶ Soliloquiorum, Nihil esse sentio, quod magis ex arce deiiciat animum virilem, quam blandimenta feminea, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest. Alio modo propter sollicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione vxoris, filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant. Vnde Apost. dicit, quòd qui sine vxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cū vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori. Et idèò continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, sicut & voluntaria paupertas. Vnde sicut damnatus est vigilans, qui adæquauit diuitias paupertati: ita damnatus est Iouinianus, qui adæquauit matrimonium virginitati.

Ad primum ergo dicendum, quòd perfectio non solum paupertatis, sed etiam continentie, introducta est per Christum: qui dicit Matth. 19. Sunt eunuchi qui castrauerunt seipsos propter regnum caelorum. Et postea subdit, Qui potest capere, capiat. Et ne alicui spes perueniendi ad perfectionem tolleretur, assumpsit ad perfectionis statum etiam illos, quos inuenit matrimonio iunctos. Non autem poterat abesse iniuria fieri, quòd viri vxores defererent, sicut abique iniuria fiebat, quòd omnes diuitias relinquerent. Et idèò Petrum quem inuenit matrimonio iunctum, non separauit ab vxore: Ioanem tamen volentem nubere, à nuptijs reuocauit.

c. 11. § 5.

c. 10. ante
med. § 1.

Ad secundum dicendum, quod sicut August. dicit in lib. 7 de Bono coniugali, Melior est castitas cœli- c. 22. in-
 bum, quàm castitas nuptiarum: quarum Abraham vnâ ter prin.
 habebat in vsu, ambas in habitu: caste quippe coniu & med.
 galiter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit, to. 6.
 sed tunc non oportuit. Nec tamen quia antiqui pa-
 tres perfectionem animi simul cum diuitijs, & matri-
 monio habuerunt, quod ad magnitudinem virtutis
 pertinebat, propter hoc infirmiores quique non de-
 bent præsumere se tantæ esse virtutis, vt cum diuitijs
 & matrimonio possint ad perfectionem peruenire: si-
 cut nec aliquis præsumit hostes inermis inuadere,
 quia Sampson cum mandibula asini multos hostium
 peremit. Nâ illi patres, si tempus fuisset continentia,
 & paupertatis seruandæ, studiosius hoc implessent.

Ad tertium dicendum, quod illi modi viuendi, se-
 cundum quos homines matrimonio vtuntur, non sunt
 simpliciter, & absolutè loquendo, religiones, sed se-
 cundum quid: in quantum scilicet in aliquo partici-
 pant quadam quæ ad statum religionis pertinent.

ARTIC. V.

Utrum obedientia pertineat ad perfectionem religionis?

888

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod obe-
 dientia non pertineat ad perfectionem religio-
 nis. Illa enim videntur ad perfectionem religionis
 pertinere, quæ sunt supererogationis, ad quæ non om-
 nes tenentur. Sed ad obediendum prælati suis omnes
 tenentur: secundum illud Apost. ad Hebr. vi. Obedite
 præpositis vestris: & subiacete eis. Ergo videtur, quod
 obedientia non pertineat ad perfectionem religionis.

cp. 18. c.
10. Et op.
19. c. 1.

¶ 2 Præterea, Obedientia pertinere videtur pro-
 priè ad eos, qui debent regi sensu alieno: quod est in-
 discretorum. Sed Apostolus dicit ad Hebr. 5. quod
 perfectorum est solidus cibus, qui pro consuetudine
 exercitatos habent sensus ad discretionem boni, &
 mali. Ergo videtur, quod obedientia non pertineat ad
 statum perfectorum.

¶ 3 Præterea, Si obedientia requireretur ad per-
 fectionem

fectionem religionis, oporteret quod omnibus religiosiſ conueniret. Non autem omnibus conuenit. Sunt enim quidam religioſi ſolitariam vitam agentes, qui non habent ſuperiores, quibus obediant. Prælati etiam religionum ad obedientiam non videntur teneri. Ergo obedientia non videtur pertinere ad religionis perfectionem.

* 9.104.
ar. 5. ¶ 4 Præterea, Si votum obedientiæ ad religionem requireretur, conſequens eſſet quod religioni tenerentur prælati ſuis in omnibus obedire: ſicut & per votum continentię tenentur ab omnibus veneris abſtinere. Sed non tenentur prælati ſuis obedire in omnibus, vt ſupra habitum * eſt, cum de virtute obedientię ageretur. Ergo votum obedientiæ non requiritur ad religionem.

¶ 5 Præterea, illa ſeruitia ſunt Deo maxime accepta, quæ liberaliter, & non ex neceſſitate ſunt: ſecundum illud 2. ad Corinth. 9. Non ex triſticia aut ex neceſſitate. Sed illa quæ ſunt ex obedientia, ſunt ex neceſſitate præcepti. Ergo laudabilius ſunt bona opera, quæ quis propria ſponte facit. Votum ergo obedientiæ non competit religioni, per quam homines quærunt ad meliora peruenire.

SED contra, Perfectionis religionis maxime conſiſtit in imitatione Chriſti: ſecundum illud Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, &c. ſequere me. Sed in Chriſto maxime commendatur obedientia: ſecundum illud ad Philip. 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem. Ergo videtur, quod obedientia pertineat ad perfectionem religionis.

ar. 2. &
3. huius
9. RESPONDEO dicendum, quod ſicut ſupra dictum * eſt, ſtatus religionis eſt quædam diſciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicumque autem inſtruantur, vel exercitantur, vt perueniant ad aliquem finem, oportet quod directionem alicuius ſequantur, ſecundum cuius arbitrium inſtruantur, vel exercitentur, vt perueniant ad aliquem finem, qualiſ diſcipuli ſub magiſtro. Et ideo oportet quod religioſi in

in his quæ pertinent ad religiosam vitam, alicuius
 instructioni, & imperio subdantur. Vnde & 7. * q. 1. 7. q. 1. c.
 dicitur, Monachorū vita subiectionis habet verbū, & Hoc ne-
 discipulatus. Imperio autem & alterius instructioni
 subijcitur homo per obedientiam Et ideo obedientia
 requiritur ad religionis perfectionem.

Ad primum ergo dicendum, quod obedire præla-
 tis in his quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non
 est supererogationis, sed omnibus commune. Sed obe-
 dire in his quæ pertinent ad exercitium perfectionis,
 pertinet propriè ad religiosos. Et comparatur ista
 obedientia ad aliam, sicut vniuersale ad particulare.
 Illi enim qui in seculo viuunt, aliquid sibi retinent,
 & aliquid Deo largiuntur: & secundum hoc obedien-
 tiæ prælatorum subduntur. Illi verò qui viuunt in re-
 ligione, totaliter se, & sua tribuunt Deo, vt ex supra
 dictis * patet: vnde obedientia eorum est vniuersalis. a. 3. ad 6

Ad secundum dicendum, quod sicut Philof. dicit
 in 2. † Ethic. homines exercitantes se in operibus, c. 1. et 2.
 perueniunt ad aliquos habitus: quos cum acquisierint, 20. 5.
 eisdem actus maximè possunt operari. Sic ergo obe-
 diendo, illi qui non sunt perfectionem adepti, ad per-
 fectionem perueniunt. Illi autem qui iam sunt perfe-
 ctionem adepti, maximè prompti sunt ad obediendū:
 non quasi indigentes dirigi ad perfectionem acqui-
 rendam, sed quasi per hoc se conseruantes in eo quod
 ad perfectionem pertinet.

Ad tertium dicendum, quod subiectio religioso-
 rum principaliter attenditur ad episcopos, qui com-
 parantur ad eos, sicut perfectiores ad perfectos: vt pa-
 tet per Dionys. 6 cap. † eccles. hier. Vbi etiam dicit, p. 1. d. me.
 quod monachorum ordo pontificum consummatis
 virtutibus mancipatur, & diuinis eorum illuminatio-
 nibus edocetur. Vnde ab episcoporum obedientia,
 nec eremita, nec etiam prælati religionum excusan-
 tur. Et si à diocesaniis episcopis totaliter, vel ex par-
 te sunt exempti, obligantur tamen ad obediendum.
 Summo Pontifici, non solum in his quæ sunt commu-
 nia

nia alijs, sed etiam in his quæ specialiter pertinent ad disciplinam religionis.

Ad quartum dicendum, quod votum obedientiæ ad religionem pertinens, se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ. Et secundum hoc, votum obedientiæ habet quendam vniuersalitatem, licet nõ se extendat ad omnes particulares actus: quorum quidam ad religionem non pertinent, quia non sunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei, & proximi, sicut confectio barbæ, vel leuatio festucæ de terra, & similia, quæ non cadunt sub voto, nec sub obedientiâ. Quidam verò etiam contrariantur religioni. Nec est simile de voto continentiæ, per quam excluduntur actus omnino perfectioni religionis contrarij.

Ad quintum dicendum, quod necessitas coactionis facit inuoluntarium: & idè excludit rationem laudis, & meriti: sed necessitas consequens obedientiam non est necessitas coactionis, sed liberæ voluntatis, in quantum homo vult obedire: licet fortè non velle id quod mandatur, secundum se consideratum, implere. Et idè quia necessitati aliqua faciendi quæ secundum se non placent, per votum obedientiæ homo se subijcit propter Deum, ex hoc ipso ea quæ facit, sunt Deo magis accepta, etiam si sint minora: quia nihil maius potest homo Deo dare, quàm quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subijciat. Vnde in collationibus Patrum dicitur, decretissimum genus monachorum esse Sarabaitas, quia suas necessitates curantes, absoluti à seniorum iugo, habent libertatem agendi quid libitum fuerit: & tamen magis, quam hi qui in cœnobijs degunt, in operibus diebus ac noctibus consumuntur.

ARTIC. VI.

Vtrum requiratur ad perfectionem religionis, quod paupertas, continentia, & obedientia cadant sub voto?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non requiratur ad perfectionem religionis, quod

In collatione 18.

c. 7. parū a prin.

889

1. 2. q. 08

ar. 4. cor.

Et 3. con.

c. 130 &

op. 18. c.

11. & 15

& op. 19

s. 5.

prædicta tria, scilicet paupertas, continentia, & obedientia, cadant sub voto. Disciplina enim perfectionis assumenda ex traditione Domini est accepta. Sed Dominus dans formam perfectionis, Matth. 19. dicit, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: nulla mentione facta de voto. Ergo videtur, quod votum non requiratur ad disciplinam religionis.

¶ 2 Præterea, votum consistit in quadam promissione Deo facta. Vnde Ecclesiastes 5. cum dixisset Sapiens, Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: statim subdit, Displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed ubi est exhibitio rei, non requiritur promissio. Ergo sufficit ad perfectionem religionis, quod aliquis seruet paupertatem, continentiam, & obedientiam, absque voto.

ca. cū ad monasteriū de statu Reg.

¶ 3 Præterea, Aug. † dicit ad Pollentium de adulterinis coniugijs, Ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cum liceret nobis etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Sed ea quæ sunt sine voto, licet non impendere: quod non licet de his quæ sunt cum voto. Ergo videtur gratius esse Deo, si quis paupertatem, continentiam, & obedientiam, absque voto seruet. Non ergo votum requiritur ad perfectionem religionis.

l. 1. c. 14. in princ. to. 6.

SED contra est, quod in veteri lege Nazaræi cum voto sanctificabantur: secundum illud Num. 6. Vir siue mulier cum fecerint votum ut sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, &c. Per eos autem significantur illi qui ad perfectionis summam pertingunt: ut dicit gloss Greg. † ibidem. Ergo votum requiritur ad statum perfectionis.

Glor. id. ex Greg.

RESPONDEO dicendum, quod ad religiosos pertinet, quod sint in statu perfectionis: sicut ex supradictis † patet. Ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea quæ sunt perfectionis: quæ quidem Deo fit per votum. Manifestum est autem ex † præmissis, quod ad perfectionem Christianæ vitæ pertinet pauper-

l. 2. Mor. c. 39. l. 1. † 9. 184. ar 5. art. 3. 4. † 5.

† Ho. 20.
inter me.
et p.

peritas, continentia, & obedientia. Et ideo religionis status requirit, ut ad hæc tria aliquis voto obligetur. Vnde Greg. † dicit super Ezech. Cum quis omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est. Quod quidem pertinere postea dicit ad eos qui præsens seculum deserunt.

Ad primum ergo dicendum, quod ad perfectionem vitæ Dominus pertinere dixit, quod aliquis eum sequatur, non qualitercumque, sed ut veteris retrò non abiret. Vnde & ipse dicit Luca 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, apus est regno Dei. Et quamuis quidam de discipulis eius retrò sum abierint, tamen Petrus loco aliorum Domino interroganti, Numquid & vos vultis abire? respondit, Domine, ad quem ibimus? Vnde & August. dicit in libro † de Consensu Euangelistarum, quod sicut Matthæus, & Marcus narrant, Petrus & Andreas, non subductis ad terram nauibus, tamquam causa redeundi, secuti sunt eum, sed tamquam iubentem ut sequerentur: hæc autem immobilitas sequelæ Christi firmatur per votum. Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis.

2. 2. c. 17.
in s. 4.

Ho. 20. †
Ez. inter
me. et p.

Ad secundum dicendum, quod perfectio religionis requirit, sicut Greg. † dicit, ut aliquis omne quod vouit, Deo exhibeat. Sed homo non potest totam vitam suam Deo adu exhibere: quia non est tota simul, sed successiue agitur. Vnde non aliter homo potest totam vitam suam Deo exhibere, nisi per votum obligationem.

Ad tertium dicendum, quod inter alia quæ licet nobis non impendere, est etiam propria libertas, quam homo cæteris rebus chariorem habet. Vnde cum aliquis propria sponte voto sibi adimit libertatem abstinentiæ ab his, quæ ad Dei seruicium pertinent, hoc fit Deo acceptissimum. Vnde Aug. dicit in epist. * ad Hermentarium, & Paulinam, Non te vouisse penitet, immò gaude iam tibi non licere quod cum tuo deum letu licuisset. Felix necessitas, quæ in meliora compellit.

Epist. 45.
non mult.
in remo-
se à s. 2. 2

Utrum conuenienter dicatur, in his tribus votis consistere religionis perfectionem?

890

AD septimum sic proceditur. Videur, quod inconuenienter dicatur, in his tribus votis consistere religionis perfectionem. Perfectio enim vitæ magis consistit in interioribus, quam in exterioribus actibus: secundum illud ad Rom. 14. Non est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Sed per votum religionis aliqui obligantur ad ea quæ sunt perfectionis. Ergo magis deberent ad religionem pertinere vota interiorum actuum, puta contemplationis, dilectionis Dei, & proximi, & aliorum huiusmodi, quam votum paupertatis, continentie, & obedientiæ: quæ pertinent ad exteriores actus.

*inf 9. 188
a. 1. ad 2
et a. 2. ad
2. Et ver.
9. 2. a. 11
ad 5. Et
opus. 18.
c. 15. Et
opus. 19.
c. 1.*

¶ 2 Præterea, Prædicta tria cadunt sub voto religionis, in quantum pertinent ad quoddam exercitium tendendi in perfectionem. Sed multa alia sunt, in quibus religiosi exercitantur: sicut abstinentia, vigilia, & alia huiusmodi. Ergo videtur, quod inconuenienter ista tria vota dicantur essentialiter ad statum perfectionis pertinere.

¶ 3 Præterea. Per votum obedientiæ aliquis obligatur ad omnia implenda, secundum præceptum superioris, quæ ad exercitium perfectionis pertinent. Ergo sufficit votum obedientiæ absque alijs duobus votis.

¶ 4 Præterea, Ad exteriora bona pertinent non solum diuitiæ, sed etiam honores. Si ergo per votum paupertatis religiosi terrenas diuitias abdicant, oportet esse etiam aliud votum, per quod honores mundanos contempnant.

SED contra est, quod dicitur extra, de statu * monachorum, quod custodia castitatis & abdicatio proprietatis sunt annexæ regulæ monachali.

RESPONDEO dicendum, quod religionis status potest considerari tripliciter. Vno modo, secundum quod

*in decretis
lib. 3. tit.
35. ca. cū
ad mona
stium, 122
fin.*

quod est quoddam exercitium tendendi in perfectionem charitatis. Alio modo, secundum quod quietat animum humanum ab exterioribus sollicitudinibus: secundum illud 1. ad Corint. 7. Volo vos sine sollicitudine esse. Tertio modo, secundum quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se & sua offert Deo. Et secundum hoc, ex his tribus vocis integratur religionis status. Primum enim quantum ad exercitium perfectionis requiritur, quod aliquis se remoueat illa, per quæ posset impediri ne totaliter eius affectus tendat in Deum: in quo consistit perfectio charitatis. Huiusmodi autem sunt tria. Primum quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem, est concupiscentia sensibilium delectationum, inter quas præcitant delectationes venereæ, quæ excluduntur per votum continentie. Tertium autem est inordinatio voluntatis humanæ, quæ excluditur per votum obedientie. Similiter autem sollicitudinis secularis inquietudo præcipue ingeritur homini circa tria. Primum quidem, circa dispensationem exteriorum rerum: & hæc sollicitudo per votum paupertatis homini auferitur. Secundum, circa gubernationem vxoris, & filiorum, quæ amputatur per votum continentie. Tertium, circa dispositionem propriorum actuum, quæ amputatur per votum obedientie, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter etiam holocaustum est, cum aliquis totum quod habet, offert Deo: vt Gregor. dicit super Ezechielem *. Habet autem homo triplex bonum, secundum Philof in 1. Ethic. † Primum quidem, exteriorum rerum: quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntarie paupertatis. Secundum autem, bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentie, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est animæ, quod aliquis totaliter Deo offert per obedientiam, qua aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo vititur omnibus potentis, & habi-

*Ho. 20.
a me. il-
lium.
† c. 8. 6
li. 7. c. 13*

bitibus animæ . Et ideò conuenienter ex tribus votis status religionis integratur .

Ad primum ergo dicendum , quòd sicut supra dictum * est, status religionis ordinatur, sicut in finem, ad perfectionem charitatis: ad quam pertinent omnes interiores actus virtutum, quarum mater est charitas: secundum illud 1. ad Corinth. 13. Charitas patiens est, benigna est, &c. Et ideò interiores actus virtutum, pura humilitatis, patientiæ, & huiusmodi, non cadunt sub voto religionis: quod ordinatur ad ipsos sicut ad finem.

ar. 1. hum-
ius 2.

Ad secundum dicendum, quòd omnes aliæ religionum obseruantia ordinantur ad prædicta tria principalia vota. Nam si qua sunt instituta in religionibus ad procurandum victum, (puta, labor, mendicitas, vel alia huiusmodi) referuntur ad paupertatem, ad cuius conseruationem religiosi per hos modos victum suum procurant. Alia verò, quibus corpus maceratur, sicut vigiliæ, ieiunia, & si qua sunt huiusmodi, directe ordinantur ad votum continentia obseruandum. Si qua verò in religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus, quibus aliquis ordinatur ad religionis finem, scilicet ad dilectionem Dei, & proximi (puta, lectio, oratio, visitatio infirmorum, vel si aliquid aliud est huiusmodi), comprehenduntur sub voto obedientia: quod pertinet ad voluntatem, quæ secundum dispositionem alterius, suos actus ordinat ad finem. Determinatio autem habitus pertinet ad omnia tria vota, tamquam signum obligationis. Vnde habitus regularis simul datur, vel benedicitur cum professione.

Ad tertium dicendum, quòd per obedientiam aliquis offert Deo suam voluntatem: cui etsi subijciuntur omnia humana, quædam tamen sunt, quæ specialiter sibi tantum subduntur, scilicet actiones humane. Nam passiones pertinent etiam ad appetitum sensituum. Et ideò ad cohibendum passiones carnalium delectationum, & exteriorum appetibilium.

Sec. Sec. Vol. iij.

V u im-

impedientes perfectionem vitæ, necessarium fuit votum continentia, & paupertatis. Sed ad disponendum actiones proprias, secundum quod requirit perfectionis status, requiritur votum obedientia.

s. 3. 10. 5.

Ad quartum dicendum, quod sicut Philosophi dicit in 4.^a Ethic honor proprie & secundum veritatem non debetur nisi virtuti. Sed quia exteriora bona instrumentaliter deferunt ad quosdam actus virtutum, ex consequenti etiam eorum excellentia honor aliquis exhibetur, & præcipue à vulgo, quod solam excellentiam exteriorem recognoscit. Honori ergo, qui Deo & sanctis omnibus exhibetur propter virtutem, (vt dicitur in Psal. 138. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus) non competit religiosi abrenunciare, qui ad perfectionem virtutis tendunt. Honori autem qui exhibetur exteriori excellentia, abrenuntiant ex hoc ipso, quod secularem vitam derelinquunt. Vnde ad hoc non requiritur speciale votum.

ARTIC. VIII.

Virum votum obedientia sit potissimum inter tria vota religionis?

891

Inf. q. 88
a. 7. ad 3

AD octauum sic proceditur. Videtur, quod votum obedientia non sit potissimum inter tria vota religionis. Perfectionem enim religiosæ vitæ à Christo sumpsit exordium. Sed Christus specialiter dedit consilium de paupertate: non autem inuenitur dedit se consilium de obedientia. Ergo votum paupertatis est potius, quam votum obedientia.

¶ 2 Præterea, Eccles. 26. dicitur, quod omnis ponderatio non est digna continentis animæ. Sed votum dignioris rei est eminentius. Ergo votum continentia est eminentius, quam votum obedientia.

¶ 3 Præterea, Quanto aliquod votum est potius, tanto videtur esse magis indispensabile. Sed vota paupertatis, & continentia sunt adeo annexa regulæ monachali, vt contra ea nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, sicut dicit quædam Decretalis, de statu monachorū; qui tamen potest indulgere, vt religio.

in decre.
lib. 3. tit.
35. ca. 6.
in f.

giōsus non obediāt suo p̄lato. Ergo videtur, q̄ votū obediētiæ sit minus voto paupertatis, & continētiæ.

SED contra est, quod Greg. dicit in 35. * Mor. Obediētia vidūmis iure p̄ponitur: quia per vidūmas aliena caro, per obediētiā verò voluntas propria maciatur. Sed vota religionis sunt quādam holocausta, sicut sup̄a dictum ē est. Ergo votum obediētiæ est p̄cipuum inter omnia religionis vota.

c. 12. ar. te med.

ar. 1. q̄ a. 3. ad 6

RESPONDEO dicendum, quōd vorum obediētiæ est p̄cipuum inter tria vota religionis. Et hoc triplici ratione. Primò quidem, quia per votum obediētiæ aliquid maius homo offert Deo, scilicet ipsam voluntatem, quæ est prior quā corpus proprium, quod offert homo Deo per continētiā: & quā res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Vnde illud quod fit ex obediētiā, est magis Deo acceptum, quā id quod fit per propriam voluntatem: secundum illud Hieronymi, quod dicit ad Rusticum * monachum, Ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum. Et post pauca subdit, Non facias quod vis: comedas quod iuberis: habeas quantum acceperis: vestiariis quod datur. Vnde & ieiunium non redditur Deo acceptum, cum propria voluntate: secundum illud Isa. 58. Ecce, in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra. Secundò, quia votum obediētiæ continet sub se alia vota, sed non conuertitur. Nam religiosus etiam tenetur ex voto continētiā seruare, & paupertatem, tamen hæc etiam sub obediētiā cadunt: ad quam pertinent multa alia p̄ter continētiā, & paupertatem, seruare. Tertio, quia votum obediētiæ proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. Quanto autem aliquid propinquius est fini, tanto melius est. Et inde etiam est, quōd vorum obediētiæ est religioni essentialius. Si enim aliquis absque voto obediētiæ voluntariam paupertatem, & continētiā, etiam voto seruet, non propter hoc pertinet ad statum religionis, qui p̄feratur etiam ipsi virginitati ex

Post me. epif. et i. cipit, Ne nil christiano se licuit, s. a



ca. 46. in voto obseruata. Dicit enim August. in lib. * de Virgin.
su. 10. 6. Nemo quantum puto, ausus fuerit virginitatem prae-
ferre monasterio.

Ad primum ergo dicendum, quod consilium obedi-
entiae includitur in ipsa Christi sequela. Qui enim
obedit, sequitur alterius voluntatem. Et ideo magis
pertinet ad perfectionem, quam votum pauperantis:
quia ut Hier. dicit super Matth. * Id quod perfectio-
nis est, addidit Petrus cum dixit, Et secuti sumus te.

Matt. 19
80. 9.

Ad secundum dicendum, quod ex verbo illo non
habetur, quod continentia praefertur omnibus alijs
actibus virtuosjs, sed coniugali castitati, vel etiam ex-
terioribus diuitijs auri, & argenti, quae pondere men-
surantur. Vel per continentiam intelligitur vniuersa-
liter abstinentia ab omni malo, ut supra * habitus est.

q. 155. a.
4. ad 1.

Ad tertium dicendum, quod Papa in voto obedi-
entiae non potest sic cum religioso dispensare, ut nulli
praelato teneatur obedire in his quae ad perfectionem
vita pertinent. Non enim potest eum a sua obedientia
eximere. Potest tamen eum eximere ab inferioris
praelati subiectione: quod non est in voto obedientiae
dispensare.

ARTIC. IX.

*Utrum religiosus semper peccet mortaliter, transgre-
diendo ea quae sunt in regula?*

892

sup. q. 88
ar. 11. ad
4. q.
185. a. 8.
Et 4. dis.
38. q. 1. a.
4. q. 1. ad
5. Et quo
li. 1. a. 20

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod reli-
giosus semper peccet mortaliter, transgreden-
do ea quae sunt in regula. Facere enim contra votum
est peccatum damnabile, ut patet per id quod Apo-
stolus dicit 1. ad Tim. 5. quod viduae quae voluere nubere,
damnationem habent, quia primam fidem irritam
fecerunt. Sed religiosi voto professionis ad regulam
astringuntur. Ergo peccant mortaliter, transgreden-
do ea quae in regula continentur.

¶ 2 Praeter. Regula imponitur religioso sicut lex
quadam. Sed ille qui transgreditur praeceptum legis,
peccat mortaliter. Ergo videtur, quod monachus trans-
grediens ea quae sunt in regula, peccet mortaliter.

¶ 3 Pra-

¶ 3 Præterea, Contemptus inducit peccatum mortale. Sed quicumque frequenter aliquid iterat quod non debet facere, videtur ex contemptu peccare. Ergo videtur, quod si religiosus frequenter transgreditur id quod est in regula, peccet mortaliter.

SED contra est, quod status religionis est securior, quam status secularis vitæ: unde Greg. in prin. * Moral. comparat vitam secularem mari fluctuanti, vitam autem religionis portui tranquillo. Sed si quælibet transgressio eorum quæ in regula continentur, religiosum obligaret ad peccatum mortale, status religionis esset periculosissimus propter multitudinē obseruantiarum. Non ergo quælibet transgressio eorum quæ in regula continentur, est peccatum mortale.

RESPONDEO dicendum, quod in regula continentur aliquid dupliciter, sicut ex dictis * patet. Vno modo, sicut finis regulæ: puta, ea quæ pertinent ad actus virtutum. Et horum transgressio, quantum ad ea quæ cadunt communiter sub præcepto, obligat ad mortale: quantum verò ad ea quæ excedunt communiter necessitatem præcepti, non obligat ad mortale, nisi propter contemptum: quia sicut supra dictum * est, religiosus non tenetur esse perfectus, sed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus. Alio modo, continentur aliquid in regula pertinens ad exterius exercitium, sicut sunt omnes exteriores obseruantia: inter quas sunt quædam ad quas obligatur religiosus ex voto professionis. Votum autem professionis respicit principaliter tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, & obedientiam: alia verò omnia, ad hæc ordinantur. Et idem transgressio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ: quia hoc directè contrariaretur professioni per quam aliquis vouit regularem vitam: vel propter præceptum, siue ore tenus à prælato factum, siue in regula expressum: quia hoc esset facere contra obedientia: votum.

lib. 1. c. 20.

art. 7. ad 1. & 2.

* art. 2.

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui profitetur regulam, non vouet seruare omnia quæ sunt in regula, sed vouet regularem vitam, quæ essentialiter consistit in tribus prædictis. Vnde & in quibusdam religionibus cautius aliqui profitentur, non quidem regulam, sed viuere secundum regulam, id est, tendere ad hoc, vt aliquis mores suos informet secundum regulam, sicut secundum quoddam exemplar. Et hoc tollitur per contemptum. In quibusdam autem religionibus adhuc cautius profitentur obedientiam secundum regulam: ita quod professioni non contrariatur nisi id quod est contra præceptum regule. Transgressio verò, vel omisio aliorum obligat solum ad peccatum veniale: quia sicut dictum est *, huiusmodi dispositiones sunt ad principalia vota: peccatum autem veniale est dispositio ad mortale, vt supra dictum est *, in quantum impedit ea quibus aliquis disponitur ad obseruanda principalia præcepta legis Christi, quæ sunt præcepta charitatis. In aliqua tamen religione, scilicet ordinis Fratrum Prædicatorum, transgressio talis, vel omisio, ex suo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad poenam taxatam sustinendam: quia per hunc modum ad talia obseruanda obligantur: qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu.

Ad secundum dicendum, quod non omnia quæ continentur in lege, traduntur per modum præcepti: sed quædam proponuntur per modum ordinationis cuiusdam, vel statuti obligantis ad certam poenam. Sicut in lege civili non facit semper dignum pena mortis corporalis transgressio legalis statuti: ita nec in lege Ecclesiæ omnes ordinationes, vel publica statuta obligant ad mortale, & similiter nec omnia statuta regule.

Ad tertium dicendum, quod tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas eius renuit subijci ordinationi legis, vel regule: & ex hoc

a. 7. ad 2

12. q. 83

ar. 3.

procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem est conuerso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis vel regula, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia, simile peccatum iteret. Sicut etiam Aug. dicit in lib. * de Na-
tura, & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbia. Frequentia tamen peccati dispositiue inducit ad contemptum, secundum illud Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, conuenit.

ca. 29. in
ms. 10. 7.

ARTIC. X.

Utrum religiosus eodem genere peccati grauius peccet, quam secularis?

893
Supra q.
184. a 8.
co. fi. 4
dis. 14. q.
1. a. 4. q.
3. ad 3.

Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod religiosus eodem genere peccati non grauius peccet, quam secularis. Dicitur enim 2. Paral. 30. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum, & non imputabit eis, quod minus sanctificati sunt. Sed magis videntur religiosi ex toto corde Dominum Deum patrum suorum sequi, quam seculares, qui ex parte se, & sua Deo dant, & ex parte sibi reseruant, ut Greg. dicit super Ezech. Ergo videtur, quod minus imputetur eis, si in aliquo a sanctificatione deficient.

Hom. 20.
a med.

¶ 2. Preterea, Ex hoc quod aliquis bona opera facit, minus contra peccata eius Deus irascitur. Dicitur enim 2. Paralip. 19. Impio praebeas auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini merebaris: sed bona opera inuenta sunt in te. Religiosi autem plura bona opera faciunt, quam seculares. Ergo si aliqua peccata faciunt, minus contra eos Deus irascitur.

¶ 3. Preterea, Praesens vita sine peccato non transigitur, secundum illud Iac. 3. In multis offendimus omnes. Si ergo peccata religiosorum essent grauiora peccatis secularium, sequeretur quod religiosi essent

Vu 4 pc-

peioris conditionis quàm seculares, & sic non esse sanum consilium ad religionem transire.

S E D contra est, quòd de maiori malo magis videtur esse dolendum. Sed de peccatis eorum qui sunt in statu sanctitatis, & perfectionis, maxime videtur esse dolendum. Dicitur enim Hier. 23. Contritum est cor meum in medio mei. Et postea subdit, Prophetæ namque, & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inveni malum eorum. Ergo religiosi, & alij, qui sunt in statu perfectionis, cæteris paribus, grauius peccant.

R E S P O N D E O dicendum, quòd peccatum quòd à religiosi committitur, potest esse grauius peccato secularium eiusdem speciei, tripliciter. Vno modo, si sit contra votum religionis, puta si religiosus fornicetur vel furetur: quia fornicando facit contra votum continentia, & furando facit contra votum paupertatis, & non solum contra præceptum diuinæ legis. Secundo, si ex contemptu peccet: quia ex hoc videtur esse magis ingratus diuinis beneficijs, quibus est sublimatus ad statum perfectionis: sicut Apostolus dicit ad Hebr. 10. quòd fidelis grauiora meretur supplicia ex hoc, quòd peccando filium Dei conculcat per contemptum. Vnde & Dominus conqueritur Hierem. 11. Quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelerata multa? Tertio modo peccatum religiosi potest esse maius propter scandalum: quia ad vitam eius plures respiciunt. Vnde dicitur Hier. 23. In Prophetis Hierusalem vidi similitudinem adulterantium, & intermendacij, & confortauerunt manus pessimorum, & non conuerteretur vnusquisque à malicia sua. Si vero religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ignorantia aliquod peccatum, quod non est contra votum suæ professionis, committat absque scandalo (puta in occulto) leuius peccat eodem genere peccati, quàm secularis: quia peccatum eius si facile, quasi absorbetur ex multis operibus bonis, que facit: & si sit mortale, facilius ab eo resurgit. Primo quidem, propter intentionem, quam habet erectam ad Deum,

Deum, quæ cæsi ad horam intercipiatur, de facili ad
 pristina reparatur. Vnde super illud Psal. 36. Cum ce-
 ciderit non collidetur, dicit * Origenes, Iniustus si
 peccauerit, non penitet, & peccatum suum emenda-
 re nescit: iustus autem scit emendare, scit corrigere.
 Sicut ille qui dixerat, Nescio hominem, paulo post
 cum respectus fuisset à Domino, flere cœpit amarissi-
 mē. Et ille qui de tecto mulierem viderat, & concu-
 pierat eam, dicere voluit, Peccaui, & malum coram
 te feci. Iuuatur etiam à socijs ad resurgendum: secun-
 dum illud Ecclesiæ. 4. Si vnus ceciderit, ab altero sub-
 ciatur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet suble-
 uantem se.

Ho. 4. in
 Ps. 36. in
 ser prin.
 & med.
 to. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa
 loquitur de his, quæ per infirmitatem, vel ignoran-
 tiam committuntur: non autem de his quæ commit-
 tuntur per contemptum.

Ad secundum dicendum, quod Iosaphat etiam
 cui illa verba dicuntur, non ex malitia, sed ex qua-
 dam infirmitate humanæ affectionis peccauit.

Ad tertium dicendum, quod iusti non de facili
 peccant ex contemptu, sed quandoque labuntur in
 aliquod peccatum ex ignorantia, vel infirmitate, à
 quo de facili releuantur. Si autem perueniāt ad hoc,
 quod ex contemptu peccent, efficiuntur pessimi, & ma-
 ximè incorrigibiles: secundum illud Hierem. 2. Con-
 fregisti iugum, diripuisti vincula, dixisti, Nō seruiam.
 In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu
 prosternaberis meretrix. Vnde Aug. dicit * in epist. *epist. 137.*
 ad plebem Hipponensem, Ex quo Deo seruire cœpi, *parū an-*
 quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui *te p. 60. 2.*
 in monasterijs profecerunt, ita non sum expertus ve-
 iores, quàm qui in monasterijs ceciderunt.

QVÆST. CLXXXVII.

De his quæ pertinent ad religiosos, in sex articulos
 diuisa.

Dinde considerandum est de his quæ competunt
 religiosis.

¶ Et